INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA GRYPHISWALDENSI

PER SEMESTRE HIBERNVM

ANNI MDCCCLXVIII — IX

A DIE XVI MENSIS OCTOBRIS

HABENDARVM.

INSVNT

FRANCISCI BVECHELERI CONIECTANEA LATINA.

GRYPHISWALDIAE,
TYPIS FRID. GVIL. KVNIKE, REG. ACAD. TYPOGR
MDCCCLXVIII.

VNIVERSITATIS LITTERARIAE GRYPHISWALDENSIS

RECTOR

LEOPOLDVS GEORGE

CVM

CONCILIO ACADEMICO

S. D.

CIVIBVS ACADEMICIS.

Edimus vobis, commilitones, latinorum scriptorum emendationes aliquot et observationes quas tametsi ante hos plures annos ex parte conscripsimus, tamen ne nunc quidem obsoletas aut inutiles esse existumamus.

I

Novius poeta qui Atellanas fecit circiter medium ab urbe condita septumum saeculum in Paedio haec dixit quae ex recensione Ottonis Ribbecki (in comicorum latinorum reliquiis p. 224 versu 67) describo

nec úmquam vidi róstrum [ullum in] tragoédia
tantúm Titi.

in quibus si non omnes at certe plerique, quoniam Nonius p. 455 haec eo loco posuit quo *rostrum hominis* a veteribus dictum esse demonstrat, *rostrum* coniunxisse videntur cum *Titi* nomine ut quo Titum designari crederent. sed quamquam praenomina Romanorum quae maxume erant in usu paulatim in ampliorem eam potestatem adducta esse constat, ut non singulos tantum homines sed genus hominum universum moresve significarent, quem ad modum Neronis aetate saturarum scriptor *hic neque more probo videas* ait *nec voce serena ingentis trepidare Titos*, Tito tamen quid rei fuisse putemus cum tragoedia, quid sibi voluisse in graeca fabula hominem romanum? contra si vetus proverbium reminiscimur de rebus nihil inter se distantibus *idem Atti quod Titi* quod Varro inscripsit saturae et in Testamento sic expressit *Accio idem quod Titio ius esto*, plane non est dubium quin versu Noviano inrideatur *tragoedia Titi* id est ut scriptura utar novicia *Titii.* deprehendimus igitur tragicum poetam illum cuius ne

unus quidem superest versiculus, a Cicerone descriptum in Bruto § 167 his verbis: *eiusdem fere temporis fuit eques romanus C. Titius qui meo iudicio eo pervenisse videtur quo potuit fere latinus orator sine graecis litteris et sine multo usu pervenire. huius orationes tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum urbanitatis habent ut paene attico stilo scriptae esse videantur. easdem argutias in tragoedias satis quidem ille acute sed parum tragice transtulit. quem studebat imitari L. Afranius poeta, homo perargutus, in fabulis quidem etiam ut scitis disertus.* hoc ingenio praediti hominis tragoediis rostra ista ingentia quibus immodestam oratoriae facultatis profusionem illudi putamus satis apte conveniunt. de aetate Titi parum certa res est: nam Cicero eum commemorans secundum Coelium Caldum consulem anni DCLX et M. Herennium consulem anni DCLXXXI et Claudium Pulcrum consulem anni DCLXII ad inferiora quam par erat tempora reiecit, nisi quod *fere* particula adiecta excusasse ipse videtur suam in hac enumeratione negligentiam. a Macrobio saturnaliorum II 12 Titius vir aetatis Lucilianae suasisse traditur legem Fanniam quae de sumptu lata est anno DXCIII. conciliatur fere Macrobi hoc testimonium cum ea ratione quam Cicero secutus est si Frontonem audimus in epistula ad M. Caesarem I 7 extrema ita exclamantem *contigisse quid tale M. Porcio aut Q. Ennio aut C. Graccho aut Titio poetae* quae verba sine idonea caussa nuper impugnata sunt. hinc enim suppari aetate opinari licet Titium Gaiumque Gracchum fuisse. accedit quod imitari studebat Titi argutias L. Afranius cuius licet senectutem ultra annum DCL prolates, floruisse tamen eum necesse est aetate ac studiis litterarum aliquanto ante hunc annum. itaque si Titium ex oratore poetam a Gracchorum aetate ad Marianam Sullanamque fabulas in scaenam composuisse sumimus, Novium autem quem ego nescio an maiorem natu habeam quam Pomponium Bononiensem, inclaruisse sub bellum sociale, facile potuit fieri per aliquot annos ut una uterque doceret hic tragoedias ille exodia atque ut exodiarius pro sua consuetudine rusticatim tangeret tragicum poetam. restat ut ipsorum versiculorum veterem formam expediamus ex Nonianis his *nec umquam vidit rostrum tragoedia tantum Titi*, quae fatendum est per se vix quidquam habere iustae offensionis, si quidem *vidit* pro *habuit* positum nihilo magis dedecet sermonem atellanicum quam volgarem loquendi consuetudinem notum illud *sestertium suum vidit deciens.* numeris tamen quo pacto ea sententia possit adstringi sine ulla mutatione, neque Ribbeckius invenit et qui ante eum reliquias Novi tractarunt neque ego perspicio. videre autem in illis mihi videbar non senarios iambicos verum septenarios, quod metrum in Atellanis valde usitatum fuisse scriptores rei metricae antiqui referunt, *quia fine molli labile atque deserens vigorem sonum ministrat congruentem motibus iocosis.* alterum septenarium exiisse in *umquam* alterum initium fecisse a *vidit* cum persuasissem mihi, haesitabam non quidem in *tragoedia* cuius ultuma syllaba corripitur, nempe prioris quaternarii ordinis finis syllabam admittit correptam, sed in spondiaco alterius pedis vocabulo *vidít rostrúm* cuius posterior syllaba pessume ita acuitur. redintegrandos igitur versus esse censeo ad hunc modum

nec umquam

vidít rostrum in tragoedia tantum Titi . . .

nam *vidi* quamvis probabiliter excogitatum esse a Ribbeckio appareat, tamen verum esse in dissoluto ac trunco carmine non possumus adseverare. quid enim si clausula olim talis fuit

tantum Titi theatrum? brevem esse in Titio primam syllabam ostendit Horati versus *quid Titius romana brevi venturus in ora* vel Tibulli *haec mihi quae canerem Titio deus edidit ore.*

II

Catullus anno urbis DCIC reducem ex provincia Pisonem illum quem maledicentissima Cicero oratione vexavit et nequam Pisonis comites hoc carmine insectatus est XLVII

Porci et Socration, duae sinistrae
Pisonis, scabies famesque mundi,
vos Veraniolo meo et Fabullo
verpus praeposuit Priapus ille?
vos convivia lauta sumptuose
de die facitis? mei sodales
quaerunt in trivio vocationes?

denotari poeta secundo versu voluit manifesto homines turpi scabritie insignes et famelicos, quarum alteram rerum adversariis etiam aliis obicit pro opprobrio, velut in carmine XXI Aurelium sic adloquitur *pater esuritionum non harum modo sed quot aut fuerunt aut sunt aut aliis erunt in annis.* substantivo autem nomine pro adiectivo similiter usus est Martialis in hoc epigrammate III 7 *centum miselli iam valete quadrantes, anteambulonis congiarium lassi, quos dividebat balneator elixus. quid cogitatis, o fames amicorum? regis superbi sportulae recesserunt. nihil stropharum est, iam salarium dandum est* quod male intellectum a multis recte mihi enarrasse videtur Friedlaenderus in descriptione morum romanorum I p. 298. et evidenter quidem *fames amicorum* ibi appellantur ipsi amici qui ante regis superbi sportulis sustentabantur, tamquam famelica ingenia cupidinesve amicorum dicas, non tamquam amicorum devoratores. ab hac igitur genetivi ad *famem* adiunctione omni ratione differt Catulli exemplum in quo necesse fuit genetivum in hanc fere sententiam accommodari indicatam ab Silligio 'vos qui scabiem famemque totius mundi vobiscum portatis'. me vero primum id ipsum offendebat quod cum *scabie fameque* genetivus ille copulatur obscurius quam vel pro certo malitiarum consilio vel pro clara relicuorum versuum elocutione. multo autem gravius hoc addo neque Catullum neque alium veteris et incorruptae auctorem latinitatis potuisse *famem mundi* vocare propterea quod non terrae agrive ab hominibus animalibusque habitati aut adeo habitatores ipsi mundi vocabulo designabantur sed rerum universa natura caeli circumitu conexa aequaliter distributa varie distincta quam Graeci *κόσμον* nominaverant. nam ut de historia eius vocabuli expromam quae nunc mihi praesto sunt, *munda* proprie dicitur res lauta et tersa et pura inde ab antiquissumis temporibus, cum in linguam latinam pervenisse id verbum ex prisca indogermanicorum populorum viri harum rerum periti confirment comparatis similibus quae apud gentes cognatas extant. Latini *munda mundare munditias* maxume frequentabant in cultu ornatuque aedium, in apparatione convivi ministeriisque, in elegantiis ac nitore mulierum et amatorum. Plautus Sticho *munditias volo fieri, ecferte huc scopas* et *lectis sternendis munditiisque apparandis* et *mulier odium meretrix reperit ocius sua inmunditia quam in perpetuom ut placeat munditia sua,*

Poenulo *nam quom sedulo munditer nos habemus ut aegre amatorculos invenimus*, Truculento *istos mundulos amasios.* Ennius *idem loca navibu pulcris munda facit.* Terentius Eunucho de meretricibus *dum foris sunt, nil videtur mundius.* Titinius in anapaestis *verrite mi aedis, spargite munde, facite in suo quique loco ut sita sint.* Attius Thebaide *mundule nitidantur unglae quadripedantum sonipedum.* Pomponius *aptate pueri munde atque ampliter convivium.* Lucretius *femina munde corpore culto.* Catullus *hanc ad munditiem adde mundiorem quod culus tibi purior salillo est* et de ore culoque *nilo mundius hoc nobisque immundius illud verum etiam culus mundior et melior.* Cicero asotos describens *vivere mundos, elegantis, optumis cocis.* Sallustius *neque graeca facundia neque urbanis munditiis se exercebat.* Horatius *mundus erit qui non offendat sordibus atque in neutram partem cultus miser* et *candida rectaque sit, munda hactenus ut neque longa nec magis alba velit quam dat natura videri*, deinde *mundae pauperum cenae* et *mundus victus* et *munda supellex* et *liber Sosiorum pumice mundus* et *horridus defluxit numerus saturnius et grave virus munditiae pepulere*, contra *immundis popinis* et *pauperies immunda* et *immundo somnia visu* et *immunda dicta.* Propertius *munda sine arte rosa* et *mundus demissis institor in tunicis* et *mundi Thais pretiosa Menandri*, saepius ex contrario *immundae saginae, immundo socco, immundos pedes, immunda casa, immundis habitare tenebris, codicis immundi vincula, immundo pallida mitra situ.* his satis erit addidisse forensia vocabula et in mercimoniis usitata *annonae mundae, panis mundi, speltae mundae, cymini mundi* id est puri, non vitiati, secreti ab alienis atque electi. iam vero substantivo *mundi* nomine antiquitus comprehensum esse omne oportet quidquid ad munditias ornatumque pertinet, neque tamen in usu postea id nomen tam late patebat quam potuisse patere videtur suapte natura. ac primum quidem dictitari latine omnes sciunt *mundum muliebrem* quem iure consulti operam dabant ut describerent accuratius et definirent. Attius *cum mundo virginali* dixit, Appuleius *mundo nuptiali* aliaque similia. Gellio IIII 1, 3 teste Lucilius *mundum muliebrem non virili genere ut ceteri sed neutro appellavit his verbis 'legavit quidam uxori mundum omne penumque: atqui quid mundum, quid non? quis dividet istuc?'* praeterea *mundus* est consecratus religione ille ter in anno patens in Palatio, quo loco Roma quadrata visebatur, rite factus ab urbis conditoribus. hic in antiquissimo pomerio mundus qualis fuerit et Ovidius describit fastorum III 821 ss. *fossa fit ad solidum, fruges iaciuntur in ima et de vicino terra petita solo: fossa repletur humo plenaeque imponitur ara* et Plutarchus in Romulo 11 βόθρος ὠρύγη κυκλοτερὴς ἀπαρχαί τε πάντων ὅσοις νόμῳ μὲν ὡς καλοῖς ἐχρῶντο φύσει δ' ὡς ἀναγκαίοις ἀπετέθησαν ἐνταῦθα, καὶ τέλος ἐξ ἧς ἀφῖκτο γῆς ἕκαστος ὀλίγην κομίζων μοῖραν ἔβαλλον εἰς ταῦτα καὶ συνεμίγνυον, καλοῦσι δὲ τὸν βόθρον τοῦτον ᾧ καὶ τὸν Ὄλυμπον ὀνόματι μοῦνδον in quibus Olympi nomen eximie ineptum esse et errore librariorum ex ουνον id est οὐρανόν subortum iudico. his accedit Festi de quadrata Roma testimonium *ubi reposita sunt quae solent boni ominis gratia in urbe condenda adhiberi.* neque igitur dubito quin nomen illud fossa olim inde traxerit, quod sicut armillae et specula et unguenta in mundo sunt muliebri, sic urbis mundus contineri videbatur terra et frugibus eisque omnibus quae necessaria sunt ad cultum humanum. Cato autem cum haec scripsit p. 84, 11 collectionis Iordanianae *mundo nomen impositum est ab eo mundo qui supra nos est, forma enim eius est*

ut ex eis qui intravere cognoscere potui adsimilis illi, doctiuscule ita erravit ut pervetustum vocabuli usum ac significationem ex ea potestate deduceret in quam migravit novissume. pergo ad antiquae latinitatis proverbium *in mundo est*, pro quo urbanus sermo illud *in promptu esse* substituit: nempe si quid in mundo habes, cum expromi id ilico subministrarique possit quasi ex cistula thesaurove, esse in mundo iactabant volgo quaecumque expedita parataque aut cito futura erant. ac proprie quidem verbum adhibetur in munditiis, quo modo convivam quaeritans Gelasimus apud Plautum ait *nescio quid opipari habeo in mundo*, apud Caecilium sperans homo convivium *profecto qui nobis in mundo futurum lectum*. congruuntque Plautina haec *quom quod amet in mundo siet* et *quoi libertas in mundo sita est*. ambigue Ennius in bonam malamque partem *tibi vita seu mors in mundo est*. identidem autem comici poetae in rebus malis, praesertim quarum expectatione quasi exquisitarum munditiarum levis animus pruriat. ita servi Plautini *quantum ex augurio intellego*, *mihi in mundo sunt virgae* et *scapulae hariolari occeperunt esse sibi in mundo malum* et *pistrinum in mundo scibam si dixem fore* et advocati in Epidico lenonis imprecationem *vae vostrae aetati* remunerantes hac gratia *id quidem in mundo est tuae*, denique Caecilianus servus *namque malum in mundost ere* ut ego mutavi tradita a Charisio p. 201, 15 K. *mundo is ire* dimidium fingens senarium. hoc proverbium exolescebat interibatque eis temporibus quo mundi notio satis diversa quae nunc nobis restat explicanda adolevit communique usu recepta est. postremo enim universitas rerum eo vocabulo notari coeperat, quod tum demum factum esse consentaneum est, cum philosophia litteraeque graecae vitae sermonique romano admixtae sunt. et quem ad modum Graecorum in lingua κόσμος vim illam non obtinebat ante peloponnesiaci belli aetatem, ita eadem ratione nominatus mundus civitatem romanam non accepit multo ante Catonem et Scipionem Laeliumque. caussam nominis ipsi veteres non ignoravere qui etsi parum habent in toto hoc genere auctoritatis, de novelli tamen vocabuli natura maiorem aliquanto quam de vetustissumo quoque nobis fidem faciunt. Varro in satura de qua dixi in museo rhenano XIX p. 476 *appellatur a caelatura caelum, graece ab ornatu κόσμος, latine a puritia mundus*. Cicero in Timaeo cuius verba supra imitatus sum cap. 10 *ut hunc varietate distinctum bene Graeci κόσμον, nos lucentem mundum nominaremus*. Plinius naturalis historiae II § 8 *quem κόσμον Graeci nomine ornamenti appellavere, eum et nos a perfecta absolutaque elegantia mundum: caelum quidem haut dubie caelati argumento diximus ut interpretatur M. Varro*. Suetonius de naturis rerum p. 193, 4 R. *veteres hominem in communionem fabricae mundi constituerunt, si quidem graece mundus κόσμος, homo autem μικρὸς κόσμος id est minor mundus est appellatus*. iam vero cum universum naturae caelo terraque constans in immensum pertineat mundusque distributionem magis et ornatum universi quam res quae eo continentur singulares indicet, non mirum est si nomen illud quasi infinitum multis modis adhibetur et potissumum caelo imponitur quod maxume omnium insigne est rerum varietate ordine splendore. sed paulatim demum ac pedetentim post quam physicorum argumenta et philosophorum qui formam terrae speciesque naturales a caelo deoque separari vetuerunt in studia sapientium hominum elegantiumque doctrinam infusa ad animos Romanorum descenderunt, mundus a caelo quasi revocari coepit ad orbem universum terrarum magisque ad popularem sensum atque notitiam volgi accommodari. Ennius in Scipione *mundus caeli vastus con-*

stitit silentio. Cato *ab eo mundo qui supra nos est.* Attius *pervade polum splendida mundi sidera.* Varro item in anapaestis *mundus domus est maxima homulli quam quinque alto fragmine zonae cingunt, per quam limbus pictus bis sex signis stellumicantibus altus in obliquo aethere Lunae bigas acceptat.* Lucretius *caelestia mundi templa*, *flammantia moenia mundi*, *magni sidera mundi*, *aeternam lampada mundi*, *sidera respondent in aqua radiantia mundo*, *magni per caerula mundi*, *mundi speciem serenam*, *qua mundi claudicat axis*, *moles et machina mundi*, *mundi confusa ruina*, *magno vexamine mundi*, *in media mundi regione*, *mundi totius unum largifluum fontem*, *ex omni mundo quia sic elementa vaporis undique conveniunt*, *per magni circum spiracula mundi*, *patuli super aequora mundi*, *mundi naturam*, *ab origine mundi*, *mundi tempus genitale*, *ad mundi novitatem*, *mundi membra ac partis*, *mortali consistere corpore mundum* contra quod Epicuri placitum Varro secundum Stoicos *mundum haud natum esse neque mori* docuit, denique *discludere mundum membraque dividere et magnas disponere partes hoc est a terris altum secernere caelum.* M. Cicero in Arateis *aeternum mundi pernoscere motum* et de orbibus stelligeris *ornantes* aut *lustrantes lumine mundum*, de suo consulatu *Iuppiter igni vertitur et totum conlustrat lumine mundum.* Q. Cicero de signis caelestibus *tanta supra circaque vigent ubi lumina mundi.* Catullus non extra carmina alexandrinorum poetarum imitatione scripta et dumtaxat hoc modo *concussitque micantia sidera mundus* et *omnia qui magni dispexit lumina mundi.* Tibulli simplicitas nisi oculi me fefellerunt mundum munditiamque omnino sprevit. at Lygdamus *Nox aetherium emensa mundum* ut Culicis scriptor *Hyperionis ardor lucida aetherio ponit discrimina mundo*, puer Messallae laudator *dicet opus magni mirabile mundi* qui dividitur deinceps in tellurem pontum aerem aetherem et *te manet Britannus teque interiecto mundi pars altera sole*, *nam circumfuso consistit in aere tellus et quinque in partes toto disponitur orbe* cum ceteris ineptiis eruditis. Vergiliana talia *clarissima mundi lumina*, *orbem per duodena regit mundi sol aureus astra*, *convexo nutantem pondere mundum*, *mundus ut ad Scythiam arduus surgit Libyae premitur devexus in austros*, *non alios prima crescentis origine mundi inluxisse dies* non magis memorabilia videntur quam Varianum *moduli ad quos mundi resonat canor in sua se vestigia volventis.* Horatius autem qui in carminibus haec posuit volgaria *quicumque mundo terminus obstitit* et *pars inclusa caloribus mundi nec boreae finitimum latus* et *quod latus mundi malus Iuppiter urguet* et *qui mare ac terras variisque mundum temperat horis*, semel praeterea eodem vocabulo usus in saturis ubi subtilem de inventione iuris quaestionem attigit docta audacia *tempora* inquit *fastosque evolvere mundi.* fasti enim etiam si ab origine mundi deducuntur quales Varro de gente populi romani tunc ipsum contexuerat, tamen non spectant nisi hominum historiam generisque humani, extenuavit vero suam Horatius licentiam praeposito *tempora* ita ut Lucretium qui lectitarant atque translatas dudum de homine ad mundum dictiones, ex nova verborum compositione voluptatem magis caperent quam molestiam. sequitur alter novae consuetudinis auctor, poeta non felicioris quidem sed maioris tamen in elocutione audaciae, Propertius. qui cum tralaticio more scripserit *rationem quaerere mundi* et *quis deus hanc mundi temperet arte domum* et *sit ventura dies mundi quae subruat arces*, cum pro Horati illo *terrarum angulo* substituerit *angulus hic mundi nunc me accipit*, tum in ea elegia (V 6)

quae una maxume egregium Properti spiritum orationisque granditatem monstrat de classibus ab Octaviano et Antonio paratis dixit *huc mundi coiere manus* et Augustum sic appellavit *o longa mundi servator ab Alba*, novum quod lauream vati mollire ait iter etiam hac re ingressus. nempe hic poeta id agebat quod de philosopho atheniensi Cicero narrat, *cum rogaretur cuiatem se esse diceret*, *mundanum inquit*, *totius enim mundi se incolam et civem arbitrabatur*, imperium romanum mundum habebat. tam elegantes strophae ac fuci quoniam temporum illorum hominibus non potuerunt non placere ideo quod sibi ipsi valde placebant et ex adulatione imperatorum amplitudinem ac maiestatem imperi cotidiano sermone celebrare vel inscientes et inviti discebant, mox adeo increbuerunt atque invaluere ut poeta quidem si flagrasse Caesarem cupidine regni diceret sive cupidine mundi, eandem fere canere cantilenam existumaretur. certe et Lucanum promiscue usurpasse haec verba et librarios multifariam confudisse atque conturbasse Burmannus exponit ad Pharsaliam VII 240 et X 5 et alias. neque solum terrarum orbis tum mundus dicebatur sed perinde ut civitatis nomine etiam cives appellantur, simul homines quotquot mundus capit. quare Tiberius Caesar arrepto Vergili ioco, si tamen Vergilius eos choliambos scripsit quibus scholasticorum natio tamquam *inane cymbalon iuventutis* valere iubetur, annis circiter septuaginta post id poematium Apionem grammaticum *cymbalum mundi* vocabat. ad summam *mundum* latinum plane contraria via processisse videmus atque Germanorum illud *weralt* vel *welt* quod virorum aetatem designans ab origine post ad universum naturae translatum esse Hoeferus me commonefecit.

tantum de mundi vocabulo disputandum censui: augeant licet alii exempla verbi facili opera, quod caput erat demonstrationis meae, non vereor ne quis possit refutare. mundi ea significatio sine qua versiculus iste non intellegitur, a lingua latina qualem Catullus didicerat fuit aliena, physicorum demum philosophiaeque adiunctione litteris latinis accrevit octavo urbis saeculo. quin etiam Catulli aetate mundi vox in terrestrium rerum descriptionem nimio minus quam in aetheriarum cadebat ac levitati hendecasyllaborum nimio erat minus apta quam cothurni magnificentiae didascalicique carminis severitati. ergo non recte traditum esse in eo versu iudicavi *famesque mundi.* sed Iosephus Scaliger quod in suo libro se repperisse ait et alii in aliis repperere *Memmi* nomen, adscriptum huic versui ut opinor ex nono carminis XXVIII, id etiam altero tanto perversius est. neutrum posse probari olim divini ille ingeni vir perspexerat cum librorum praescripta memoria haec adiecit 'omnino aliquod mendum latet.' atqui probabili hoc nobis coniectura sustulisse videmur: legebatur enim in veronensi codice sive quo ex archetypo transcriptus ille fuit *munde*, quod cum explicare nesciret scriba proclivi errore et paene dixerim necessario adductus est ut triti ecclesiastico usu vocabuli formam substitueret totidem litteris expressam *mundi.* debebat autem pristina scriptura mutari in *mundae.* iam vero si Porcius et Socration *fames mundae* appellantur, duplex eius rei praesto est enarratio. primum enim hoc quo lautae et purae res gaudent adiectivum non numquam translatum videmus ad ea nomina quae licet opinione communi nec munditiam neque immunditiam contingere putentur, possint tamen seiuncta cogitari a ceteris rebus omnibus eaque seiunctione ad proprium suum quasi nitorem revocata, ita ut vis adiectivi huius ac sensus non multum distet ab eo quod *putum* antiquissumi dicebant et inferiores aetate *merum.* cuius significationis unum lubet in

medium proferre exemplum ideo quia in controversiam id esse vocatum aliquando audivi ab adulescentulo immaturi iudici. nempe Petronius convivam Trimalcionis in saturarum capite 41 sic loquentem fecit de bruma *dies nihil est, dum versas te, nox fit, itaque nihil est melius quam de cubiculo recta in triclinium ire; et mundum frigus habuimus, vix me balneus calfecit*: frigus sentitis designari frigidissumum, germanice autem interpretantibus verbum non derit plane concinens. Catullum tamen cum *scabies famesque mundae* composuit non illud voluisse cognovi sed quo acutior etiam mucro Pisonis satellitibus intentaretur longe aliud hoc: quamvis munditiis affluatis delicatuli et asoti, scabies tamen famesque estis. leporis genus eo plus habet iucunditatis quod *scabies* et *mundae* adversa fronte inter se pugnant, sic ut numeri innumeri et insaniens sapientia aliaque permulta, si quidem hoc genus iocandi populus romanus ac poetae pariter probarunt. denique ut quam potero firmissumo emendationem meam adminiculo fulciam, contra codices ante haec quattuor aut quinque saecula scriptos testem produco qui altero quo edita sunt saeculo carmina Catulli assiduo studio versavit, Martialem. hic in tertii libri epigrammate 58 ubi baianam villam et rus beatum laetumque praedicavit, misellam sub urbe villam his versibus notat 45 ss. *at tu sub urbe possides famem mundam et turre ab alta prospicis meras laurus, furem Priapo non timente securus, et vinitorem farre pascis urbano pictamque portas otiosus ad villam holus ova pullos poma caseum mustum.* neque enim ego dubito quin bilbilitanus poeta ut in *vetulo Falerno* ita etiam in *fame munda* commemoranda auctorem habuerit veronensem.

III

Fabulam si poeta facere dare docere, si histrio agere cantare saltare narratur, quid rei sit scio, sed dictari a poeta fabulam nondum didici qua alia ratione intellegerem nisi si scribam verba poetae excipientem consignasse litteris putarem. repperi apud Apuleium madaurensem in floridis hanc locutionem XVI p. 20, 12 editionis a Gustavo Kruegero volgatae *poeta fuit hic Philemon mediae comoediae scriptor, fabulas cum Menandro in scaenam dictavit certavitque cum eo fortasse impar, certe aemulus.* tam aut insolenter aut imperite dixisse incredibile est cultissumum in delectu vocabulorum oratorem, cuius declamationes in auditorio celeberrumo ac splendidissumo coram principibus Africae viris quam morosis auribus fuerint exceptae, ex his cognoscimus sententiolis quas in floridis ipse posuit VIIII p. 9, 14, ego ut corrigam repeto: *quis vestrum mihi unum soloecismum ignoverit, quis vel unam syllabam barbare pronuntiatam donaverit, quis incondita et vitiosa verba temere quasi delirantibus oborientia permiserit blaterare? meum unum quodque dictum acriter examinatis, sedulo pensiculatis, ad limam et lineam certam redigitis, cum torno et cothurno verum comparatis.* nam pro *verum* quod Vossius et Hildebrandus proposuere *ad verum* vel *in verum*, id cum inconditum ac vile est tum proportione huius pronuntiati cum proxumo confutatur. scribendum erat *versum* quam formam genetivi tetigi de declinatione latina p. 43 et ex inscriptione sub annum christianum CCCXXX facta, a Theodoro Mommseno in novis instituti archaeologici commentariis p. 298 ss. explicata, Caelium Saturninum *magistrum censum* appellante ad in-

fumam latinitatem durasse cognovi. *tornum* autem *et cothurnum versuum* compara cum Properti hexametris III 32, 41 et 43 *desine et Aeschyleo componere verba cothurno*, *incipe iam angusto versus includere torno.* sed ut ad principium disputationis redeam, illud *dictavit* me suasore mutabitur in *datavit.* exemplum adscribam non quo ad tuendam emendationem opus sit sed quo priscum Plauti et Catonis verbum Hadrianeae aetatis antiquarios reduxisse in consuetudinem pateat. Diomedes grammaticus libro III p. 490, 16 K. in ea parte quam Otto Iahnius vindicavit Suetonio *togatas tabernarias* inquit *in scaenam dataverunt praecipue duo L. Afranius et T. Quintius* ubi ex vetustis editionibus Keilius *ductaverunt* rettulit. etiam quae secuntur apud Apuleium de Philemone scripta, mendis deformata compluribus sunt, de quibus quoniam unum nobis contigit ut certa opera removeremus, ne relicuorum quidem detrecto disceptationem quamvis dubiam. verba autem in florentino libro haec comparent *namque eum etiam vicit saepe numero pudet dicere. reperias tamen apud ipsum multos sales, argumenta lepide inflexa, adgnatos lucide explicatos, personas rebus competentes, sententias vitae congruentes, ioca non infra soccum, seria non usque ad cothurnum. rarae apud illum corruptelae et uti errores, concessi amores.* in primo membro aliquid desideratur, nam ut plurumi Apuleius Menandrum aestumaverit unanimo veterum consensu commotus, tamen secundas eum saepe tulisse a poeta victum *fortasse impare* cur pudeat dicere non adsequimur. Kruegerus igitur edidit *vicit saepe: numerum pudet dicere.* at et nescisse tum omnes probabile est numerum victoriarum quas quidem de Menandro Philemo reportaverat, et si scierint, quid pudeat quem saepe victum dixeris addere quotiens is ceciderit? pigeat enumerare vel taedeat, non pudet. ad hoc subsequens *tamen* particula in superiore enuntiato Apuleium de ipso Philemone minus bene existumasse arguit. itaque intercidisse aliquod vocabulum ratus sic supplevi *eum etiam vicit saepe numero, pudet dicere qua re.* scilicet aere ac pretio scaenici certaminis palmam a venalibus iudicibus redemisse Philemo traditur. tum *adgnati lucide explicati* explicatus habent nullos. cum his Casaubonus commutabat *adgnitus*, potuit etiam *adgnotus*, verbum antea inauditum quo proprii novae comoediae ἀναγνωρισμοί declararentur, Stewechius *actus*, Colvius denique *nodos*: mihi idonea ad excutiendam vim comicam vocabula indaganti occucurrerunt *adfectus*, quos optume adiungi *argumentis* concedes si Quintiliani caput de affectibus oratoriis VI 2 et Varronis iudicia ab Augusto Wilmannsio composita p. 75 et 206 perlustraveris. postremo *uti* ante *errores* positum paene haesites incertus ab utendone derivatum ducas an instar coniunctionis. cuius modi offensioni ne ullum relinquamus locum, litterulas paulum diverso modo hoc coniungemus *rarae apud illum corruptelae, tuti errores, concessi amores.*

IIII

Andromedae fabulam tragici poetae tres latinam fecere, Livius Ennius Attius. Livi ex Andromeda unus superest versiculus ad diluviem spectans a Neptuno Nereidibusque terrae immissam, servatus a Nonio p. 62 *confluges loca in quae rivi diversi confluant. Livius Andromeda 'confluge ubi conventum campum totum inumigant.'* codicum repraesentavi scripturam excepto quod guelferbytanus in lemmate *confluge* et in Livianis idem vocabulum cum *e* hamata

id est utrobique *conflugae* scriptum habet. in versu Livi Iunius *conventu* correxit, Mercerus etiam *confluges*, denique Ribbeckius *confluges rivi conventu*, ego cum lacinias eius generis caute attrectandas esse expertus sim nihil muto nisi *conventu.* nam *conflugae* potius quam *confluges* cum librorum confirmetur testimoniis, quae sane mirari nolite ab eis hominibus qui de hoc vocabulo singulariter commentati sunt omnino neglecta esse, quidni nos accipiamus? ubi enim primaria radix *flu* aucta atque amplificata est in *flug* qualem *fluxi* et *fluctus* exhibent, ad *convenarum* exemplum et *conlegarum* et *convivarum* et *adsecularum* licuit etiam *conflugas* appellare non loca quidem in quae rivi confluerent sed ut ipsius summa versiculi demonstrat, fluctus confluentes in unum. plenus autem fuisse versus potest trochaicus, sive distractis vocibus horridulum hiasse poetam Ciceroni credimus oratoris § 152 sive *nam* particulam aliamve syllabam praepositam a poeta glossarum scriptores praeterierunt. nam *ubei* iambicum est.

post Livium Ennius docuit Andromedam latine interpretatus fabulam Euripidis, quando quidem anapaesti puellae miserias suas Nocti narrantis Enniani *quae cáva caeli signitenentibu confici bigis* (Ribbecki fragmentum I) clare consonant cum Euripideis relatis ab Aristophane thesmoph. 1065 ss. *ἀστεροειδέα νῶτα διφρεύουσ' αἰθέρος ἱρᾶς.* ad littus in quo adligata rupi Andromeda pendet, marinis aestibus diverse agitatus *rúsus prosus reciprocat fluctus feram* (fr. VII). terga ferae quae Ovidius metam. IIII 725 *cavis super obsita conchis* vocat, describuntur Enni fragmento IIII *scrúpeo investita saxo. atque ostreis squamae scabrent.* huic periculo, ut cum Cassiepea matre expostulans virgo ait fr. III, *a filiis propter te obiecta sum innocens Nereí*: addidi autem *a* praepositionem in Prisciani exemplaribus interceptam ab *Andromeda*, versum ut instaurarem senarium et ipsam sententiam, nam dis illis poenas datura Andromeda maternae superbiae proposita est ceto. advenit cum Gorgonis capite Perseus, amore capitur puellae, pugnam parat cum belua: Euripidea ex Andromeda haec Aristophanes rettulit thesmoph. 1101 Περσεὺς πρὸς Ἄργος ναυστολῶν τὸ Γοργόνος κάρα κομίζων, in pictura a Luciano descripta pugnans cum ceto heros Gorgone utitur praeter ensem, in signo hannoverano de rupe puellam deducens etiam Gorgonem gestat, apud Ovidium victor *anguiferum caput dura ne laedat harena, mollit humum foliis natasque sub aequore virgas sternit et inponit Phorcynidos ora Medusae*, in pompeianis picturis adsidens liberatae Andromedae amator ac terribilis capitis imaginem liquida repercussam aqua ostendens visitur: Ennianus Perseus ne voltu adverso monstrum gorgoneum cogatur adspicere si prono manus metu ante se in humo deposuerit, *circúm sese urvat, ad pedes terra occulit capút* fr. VI. in pugna Perseus *córpus contemplatur unde corporaret volnere* fr. V ubi *corpórare* cum pariter atque in Attiano versu 604 esse *interficere* tradatur, dubites an primi poetae latini hanc *corporis* significationem ex homerici σώματος similitudine repetierint. devictae ferae *ália fluctus differt dissupat visceratim membra, maria salsa spumant sanguine* fr. VIII. pactam antea puellam Perseo iam in manum tradit Cepheus pater fr. II ita conceptis verbis ut in rege Aethiopum romani spectatores dignam patre familias gravitatem non desiderarent *líberum quaesundum causa familiae matrem tuae.* praeter haec Iohannes Vahlenus in Ennianae poesis reliquiis p. 105 ss. quae in hanc tragoediam intulit, ea mallem omnia praetermisisset. nam apud Priscianum illud *Nerei natis* librariorum glossematis conflatum est, *áger oppletus imbrium frémitu* importune ad terras refertur immani maris

inundatione obrutas, *et quis illaec est quae lugubri súccincta est stola?* aeque in Hecubam vel Andromacham aechmalotidem vel quamvis miseram mulierculam conveniunt atque in Cassiepeam Andromedamve, Varro in satura quae περὶ ἐξαγωγῆς inscripta erat cum vinctam Andromedam debuisse patri suo stupidissumo in os spuere vitam asseveravit, num Ennianam fabulam an Attianam an graecam aliquam cogitaverit incompertum est, denique alter eiusdem saturae locus quo secreta pueri et petasati confabulatio indicatur, non pertinet neque ad Andromedam neque ad Ennium.

tertius Romae in scaenam Andromedam Attius dedit qui Sophoclis vestigiis ingressus creditur neque inconsiderate, si quidem Euripidem Ennius expresserat, quamquam et infirmiorem hanc rationem esse ad probandum arbitror nec Sophocleae illius fabulae hodie inventio ordo ornatus elucet. Attianae Andromedae reliquias postquam scite plerasque Ribbeckius p. 325 explicavit, de versuum verborumque emendatione pauca adicimus. Phineus qui quo minus Andromeda calamitate premeretur nullam opem patruus sponsusve tulit — repeto autem Ovidianam elocutionem metam. V 23 non dissimilem Attianae fr. III — suam profitetur inertiam trochaicis his versiculis fr. IIII *néque qui te adiutem invenio*, *hortari piget*, *nón prodesse id pudet* quorum priori ditrochaeus dest in principio. eisdem numeris procedunt ex eadem opinor oratione deprompta haec de Cassiepea superbae iactationis culpam commerita fr. V *múliebre ingenium prolubium occasio.* recusantem auxilium mulier his pungit iambis fr. VI *námque ut dicam te metu aut ségnitate ad[ire] dubitare haud meum est* sive *adductum* sive aliud praestare supplementum existumabitis: cretici vero quales Bothius finxit, alter ab altero versus ut discinderetur hac catalexi *námque ut dicám*, abhorrent ab arte. scopulo adfixa virgo describitur integro hoc septenario *mísera obvalla saxo senio pedore alguque et fame* qui in iambicum conversus octonarium apud Ribbeckium legitur fr. VIII. verum dixerint licet volgo omnes *obvallata*, et profecto ipse in eadem hac fabula Attius fr. X *immani tabe templum obvallatum ossibus* commemoravit, dissuadeo ego quod in illo versu Nonius habet *obvalla* adiectivum ne eximatur de prisco sermone utpote rite formatum ad legem grammaticam. mitto *obvia* et *obstipa*, ante Attium *obnubila tenebris loca* tragico ore Ennius dixit, post in longe alio poematum genere Laevius nove aut insigniter dicta adfectans *obliteram gentem* pro *obliterata.* adiectiva huius modi prope omnia neque communi in usu fuisse umquam videntur neque ad excultam sermonis urbanitatem duraverunt: remanebant derivata parili ratione verba vel verbalia *obliterata obnubilata obvallata.* priscis autem illis facultas evincitur latinae linguae quam olim habuerit ad nova progignenda vocabula, adsimilis eius qua Graeci semper excellebant ἐπίκληρον ἐπίδικον ἐπίπροικον ἐπίγαμον aliaque sexcenta frequentantes. postremo dicam de fragmento I a Nonio p. 20 sic relato *circus dicitur omnis ambitus vel goerus*, *cuius diminutivum est circulus. Accius Andromeda* '*quod luna circulos annuo in curso institit.*' et in Nonianis quidem *goerus* de more multitudinis indoctae pro *gyro* scribitur, sicut quem nuper vidi in titulo marmoris romani a Benndorfio et Schoeneo descripti p. 173, *T. Flavius Etoemus* non quasi ἕτοιμος sed quasi ἔτυμος cognominatus mihi videtur. contra docti aetatis aureae homines graeca nomina nisi rudes et agrestes se haberi vellent, non poterant non graece efferre, et Senecam rhetorem. cuius in codicibus *gloiconi* et *otroradem* et *termopoylas* deprehenduntur, ipsum necesse est

scripsisse *Glyconi* et *Othryadem* et *Thermopylas*, quae postea librarii his vicibus mutavere ut rursum *solycismum* et *mynia* in eisdem fere paginis ex *soloecismo* et *moenibus* efficerent. hoc cum olim frustra significaverim, dicendo iterum forsitan hoc consequar, ut amicus doctissumus ac suavissumus qui tum oblocutus mihi est paulo accuratius secum reputet quo consilio Arrium Catullus luserit atque universe quae fuerit illis temporibus quantique habita sit laus locutionis emendatae. iam in Atti versu Ribbeckius cum Lipsio *quot* correxit et secundum vaticanum codicem *cursu*, idem *circos* edidit cum Mercero praeter necessitatem. nam Attius verbum illud per synhaeresim expressum extulerat *circlos*, et ne ea quam Nonius praeposuit interpretatione decipiamur, transtulit haec grammaticus ex Attianorum libro glossematorum, quem Alfredus Schottmuellerus sagaciter investigavit, quem simili eruditione refertum fuisse credo ac Vergilianos commentarios. et enim Vergilius cum in libro georgicon III versu 166 *laxos tenui de vimine circlos* scripserit, haec ad eum versum adnotationes extant Servi *circus est principale unde fit circulus et per syncopam circlus sicut periculum et periclum*, *saeculum et saeclum* et in scholiis bernensibus *circlos* (in uno codice est *circos*) *id est circulos. circus principale unde* (adde *circlus et*) *circulus sicut periclum et periculum et saeclum saeculumque.*

brevis vocalis inter gutturalem consonantem et *l* interiecta omnes sciunt quam a Romanis saepe elisa sit in illo potissumum deminutivo suffixo. rarioribus vocabulis in Fleckeiseni annales a. MDCCCLXIII p. 776 transcriptis ex titulis aliquot latinis adicio *Arbusclam*, *acisclum* et *exacisclaverit*, *laterclos*, *oclarium* et *oclata*, *cornuclarios*, *cubuclarios*, *speclarios*, *tabernaclarios*, *utriclarium*, *teglarium* et *teclarium*. multo autem memorabilius exemplum quo plebeia et provincialis inlustretur pronuntiatio, inscriptio praebet prope Cliviam reperta quam chartulae mandatam olim a Pighio Guilelmus Brambachius protulit in corpore inscriptionum rhenanarum numero 161. verba tituli sepulcralis haec sunt *Silvano Loupi f(ilio) Trever(o) eq(uiti) ala Vocont(iorum) an(norum) XXX stip(endiorum) XII et vivis Primae sorori eius heredi f(aciundum) c(uravit). vos rogitat*, *quaeso*, *soror unica fratris amantis*, *ni dissigilletis nive violetis opus.* priora composita soloece videtis ut ab hominibus barbaricae originis quam paternum nomen arguit — *Loupum* apte comparaveris cum vico ad Nicrum sito, qui in lapidibus nuperrime inventis *Lopodunum*, in Ausoni Mosella v. 423 *Lupodunum* nominatur, deinde temporum varietate ac populorum vicissitudine ex *Lobedone castro* mutatus est in *Ladenburg* — sententiam autem scriptor hanc dicturus erat, Silvanum sibi et sorori vivis providisse de sepulcro. quod subiunctum est distichon, in eo *ni* scribitur pro *ne* more ad infuma tempora tradito ab antiquissumis, cuius plurumi ac locupletissumi testes sunt tituli grammatici codices, *nive* vel *neve* in unam cogitur syllabam *neu.* itemque versui ut constent numeri, *dissigilletis* quattuor syllabis comprehendi pronuntiarique *dissigletis* oportet non secus ac si *dissignetis* in lapide sit incisum. compar quidem implexio syllabarum et gemina si qua usu venerit in lingua Romanorum matura ac deformata nunc non reminiscor, nam *siglae* etsi quibusdam nomen visae sunt habere ab *sigillo*, re vera tamen a *singulis* litteris denominatae sunt extrita *n* littera quae etiam in *singillatim* aliquando coeperat omitti. neque vero improbabile est in *sigillo* mediam syllabam Gallos corripuisse quem ad modum et prisci poetae *fácilume* non geminata consonante pro paeone habuerunt et in labantis latinitatis titulis scriptum notatur

pro vexillo *vixilum*. sin consonantis liquidae geminationem neglegebant, sequitur ut longior *dissigiletis* vox coartari potuerit in dispondeum. cohortationes ad sepulcra accedentium similes cum permultae legantur in monumentis, unam illi confero editam inter neapolitanas inscriptiones a Theodoro Mommseno n. 1942 *vos coniur(o) ut ni qui sepoltura mea violet.* in isto autem versu quaeritur *dissigilletis* vocabulum a vetere scriptore nullo receptum quorsum tendat. nam quod diruptum intellegere sigillum natura verbi iubemur, ipsum sigillum aut cereum est id quo vel tabellae vel cella vel quaelubet res obsignatae claudebantur, aut marmoreum aheneumve deorum honori consacratum vel in usum factum hominum ad supellectilem ornandam vel aedificium vel monumentum, quale artis opus sigillarii factitabant. itaque non is magis dissigillat qui aperit rem sigillo occlusam, qui latine dici solet resignare, quam qui sigillo rem instructam spoliat, tamquam si Verrem multa dissigillasse vasa pronuntiaveris. et priorem quidem explicationem hoc adiuvat quod eandem illi verbo notionem scriptores medii aevi, de quibus certior factus sum a Ducangio, Italique subiecerunt, praeterea quod compluribus titulis cavetur ne quis arcam sarcophagumve velit aperire. nescio tamen an grammatica versus ratio ita ferat ut in unum coniungantur haec *ni dissigilletis opus* potiorque esse altera sententia iudicetur. nempe fuerunt olim, si Buggenhageni testimonium recte adscivi in societatem Pighiani, et in superiore et in inferiore parte monumenti pedes septem alti anaglypha Silvani memoriae destinata, quorum hoc cubantem in lectulo virum feminamque cum mensa, illud ecum salientem et equitem adumbraret. ut igitur alii titulos suos noluerunt inscriptis candidatorum nominibus oblitterari, ut Q. Iulius Hermes poenam irrogavit in Henzeni sylloge inscriptionum n. 7338 si quis suum titulum deasciavisset, sic pia in fratrem Prima separari a monumento vetuit ornamenta. nihilo minus soror quod metuerat, id ipsum accidit sive hominum iniuria sive temporum disiectis sigillis et avolsis.

V

Editum esse Catulli librum carminum anno urbis DCC Theodorus Mommsenus ostendit, post mensem eius anni sextilem editum esse sumpsit Ludovicus Schwabius in quaestionibus Catullianis p. 297. cuius ab opinione ita dissentio ut mensibus iam ante duobus tribusve factam editionem esse credam, quamquam mihi quod persuasi, cum non tam ex certa argumentorum copia quam ex sensu quodam probabilitatis tractum sit, vereor ipse ut omnibus probem. iunio enim eiusdem anni mense Cicerones fratres habuisse in manibus et legisse mihi videntur Catulli librum. contra forsitan quispiam dixerit potuisse cum aliis in urbe Roma tum Ciceronibus novi poetae carmina innotescere singula prius quam totus ab illo liber absolveretur. concessero illud, nam cum poeticorum studiorum, quibus illa aetate Romani adsuescebant, indoles ac natura faceret ut recens poema benevolorum hominum atque intellegentium aures iudiciumque experiretur, id quod M. Cicero ad Q. fratrem II 8, 1 (numeris utor exemplaris Baiteriani) hoc ioco perstringit *non mehercule quisquam μουσοπάτακτος libentius sua recentia carmina legit quam ego te audio quacumque de re*, tum aliquanto ante annum DCC Cornelius Nepos popularis atque amici sui Catulli virtutem poeticam in libro chronicorum sermonibusque praenuntiaverat. itaque M. Ciceronem cum Nepote coniunctum epistularum commercio, ad quem etiam missum

a Catullo extat epigramma, quin carmen eiusdem unum et alterum novisse putemus ante quam in iustum librum coniceretur? hoc igitur si concessero, non esse contendam cur ullum libri Catulliani carmen ad tempus referatur inferius mense iunio anni DCC quo cognitum carmen XXV Ciceronibus fuerit. quod enim Vatiniana crimina a Licinio Calvo mirifice explicata Catullus in carmine LIII dicit, inde nequaquam certo efficitur scriptum id carmen sextili demum mense esse anni DCC, quo tempore M. Cicero Vatinium erat defensurus ut ipse fratri narrat in epistula II 15, 3. nimirum e Tacitei dialogi capite 21 plures discimus Calvi fuisse accusationes in Vatinium inscriptas, orationibus comprehensas minumum duabus, ut Verrinas Ciceronis recordatus ego suspicor satis multis. de quibus cum repetere dicta ab aliis nolimus, tantum quidem constat neque uno in iudicio neque uno anno DCC sed identidem Calvum in Vatinium dixisse et ante eum de quo agitur annum. immo si Vatini invidiam et ardorem consideramus adversariorum, si accusationum iudiciorumque crebritatem quibus odiosi homines illa aetate obrui solebant ex caussa eiusdem anni Gabiniana colligimus, plane mirabilis esse res videatur si totis sex mensibus a deposito magistratu Vatinium non uno crimine reum postulare cunctati sint. Catullus vero carmen LIII quo dictum aliquod de Calvi hominis parvoli magna eloquentia iocosum celebraturus erat, post quamvis unam composuisse potest sodalis sui in Vatinium accusationem. verum iam aperiemus quo freti sensu ante aestatem anni DCC pervenisse in manus Ciceronum Catulli librum credamus. carmen eius XXV delicatulum inridens furem ab his versibus incipit

cinaede Thalle mollior cuniculi capillo
vel anseris medullula vel imula auricilla
vel pene languido senis situque araneoso,

auricilla Scaliger correxit, libri *moricilla* habent volgari natum pronuntiatione qua *au* diphthongus abire in *o* solebat velut *oro* pro *auro* in Persi libris vetustis scriptum est V 106 secundum Italorum consuetudinem et prisci Romani pro *Aurata* nominaverant *Oratam*. istos autem versus qui perite aestumaverit, is poetam curiosa ingeni sollertia excogitasse ipsum et conquisivisse sentiet, non adhaerescentem locutionibus usitatis sumpsisse de medio eas res quibuscum Thalli conferret mollitiam. adeo inquam haec exquisitae sunt comparationes et a communi inventione remotae ut eisdem si quis usus est, consentaneum sit pendere eum ex imitatione Catulli. priapei carminis LXIIII primi versus hi sunt *quidam mollior anseris medulla furatum venit huc amore poenae*: numquis e Catulli versibus indicium hoc mollitiae arreptum esse infitiabitur, praesertim si alibi quoque in priapeorum libro Catullianos ludi versiculos scierit? quam rem ab Scaligero patefactam commemoravi in museo rhenano XVIII p. 383 et 401. etiam eius carminis quod inter Tibulli opera Scaliger repperit et Lachmannus edidit in fine Tibulli, versus 30 *araneosus obsidet forem situs* — nam *forem* recte scribitur in codice monacensi saeculi XII, cuius Carolo Halmio notitiam debeo —. etiam hic versus vix dubito quin colorem duxerit ex iambis Catulli supra scriptis. ipsa autem quae in priapeo carmine visitur imitatio non sine plausu auditam lectitatamque esse Romae qualem Catullus fecit mollitiae notationem demonstrat, qua re magis etiam veri simile est Ciceronem ubi concinentem cum illis sententiam suae orationi adstruxit, iocum usurpasse Catulli modo editum in volgus. scripsit autem Marcus

mense iunio anni DCC in familiari ad Q. fratrem epistula, qua lusiones eius generis plane non defugiebat II 13, 4 haec verba *tu quemadmodum me censes oportere esse et in re publica et in nostris inimicitiis ita et esse et fore auricula infuma scito molliorem.* in ultumis qui inest lepos, is non solet nasci in Marci hortulis, neque Quinti ingenium quod e commentariolo petitionis cognoscitur quam austerum fuerit et ieiunum, harum facetiarum ferax fuisse arbitror. immo nisi me fallit opinio, recens a Catulli nugis Quintus, ut erat maxume poeticis studiis deditus, inseruerat figuram illam ludibundus seriis quae fratri ineunte mense iunio ex Gallia de re publica perscripsit consiliis, et Marcus quia delectatus ea erat respondens Quinti litteris iteravit. postera aetate Catulli illud *mollior ima auricula* venire in proverbium potuisse non nego, nisi quod parum certus eius rei testis mihi Ammianus Marcellinus videtur a quo imperator describitur *obsurdescens in aliis etiam nimium seriis, in hoc titulo ima quod aiunt auricula mollior et suspicax et minutus* in historiis XVIIII 12, 5. nam hic scriptor cum Frontonis praecepto obtemperans epistulas Ciceronis assidue tractaverit, in eis etiam ad Q. fratrem missas (XXVIII 1, 40), ne hoc quidem mihi constat eum non mutuatum esse a Cicerone. certe quidem idem Ammianus XVI 5, 10 *vetus proverbium* vocat comici opinor poetae ignoti versum quem totidem verbis relatum a Cicerone invenerat in epistula ad Atticum V 15, 3. quod carmen ut tandem aliquando simul fraudulentis Bosi ineptiis vacet et antiqua numerorum integritate decurrat, infra scribendum censui

clítellae bovi súnt impositae, pláne non est nóstrum onus.

trochaicum habetis septenarium, *bovi* enim sic ut *novi* et *avo* similiaque aut semivocali littera mollita in unam coit syllabam aut iambicorum more vocabulorum longae vocalis pondere depresso aequatur pyrrichio.

VI

Versus M. Cicero in epistulis etiam plures tetigit qui tamen non omnes ab editoribus esse animadversi videntur. neque praeclarum oratorem miramur tantum singulis fere locis Catulli et Calvi poetarum novorum habuisse rationem, quorum artem laboriosam non satis instructus fuerit a natura sua eaque quae adulescenti contigerat eruditione ut digne atque integre iudicaret, quorum delinimenta dictionis carminumque mollitudinem aliquotiens se ducere despicatui fatetur. contra saepissume eas adhibuit voces quibus theatrum ac scaena personabat. in epistula ad Quintum II 10, 3 data anno urbis DCC postquam gloriatus dicacitate sua narravit quam belle in senatu pridie idus februarias regulum commagenum cavillatus esset cui Appius consul faveret, ad extremum haec adicit *multa dixi in ignobilem regem quibus totus est explosus, quo genere commotus, ut dixi, Appius totum me amplexatur, nihil est enim facilius quam reliqua discutere. sed non faciam ut illum offendam, ne imploret fidem Iovis hospitalis, Graios omnis convocet, per quos mecum in gratiam rediit.* Graecorum nomine et Iovis hospitalis id est Διὸς ξενίου argumentum declaratur sumptum e graecis rebus, *Graios* forma et dissolutis quae colligari oportuit implorandi et convocandi verbis poetae exemplum romani. apparet igitur tragicam personam Ciceronis animo esse obversatam, Hecubam sive Telephum

sive quam tragoediam sapientior edet ariolus. at vero non liquet quanta eius enuntiati pars ad fabulam poetae olim pertinuerit, nam etsi totos inde eruere licet duo hos senarios

non faciam ut illum offendam, ne imploret fidem
Iovis hospitalis, Graios omnis convocet

tamen cum priora verba neque alieni quidquam habeant a caussa atque expositione Ciceronis nec spirent, ut ait Horatius, tragicum satis, multo propius accessurum ad verum video qui illa Ciceroni reliquerit, poetae non adsignaverit nisi haec

implorat fidem
Iovis hospitalis, Graios omnis convocat.

in eadem verba desinens Atti legitur versus apud Ribbeckium numero 330 signatus *tamen haúd fatiscar quin tuam implorem fidem.* editores autem quod cothurnum aptasse sibi Ciceronem non perspexere, ne vim quidem rationemque eius ludi satis intellexerunt sed rem quae respiceretur adnotaverunt prorsus nesciri. verum enim vero pavor ceperat Ciceronem ne Iovem hospitalem Appius comprecaretur, quod inter regulum legatosque eius qui adituri senatum muneribus oblatis beneficiisque in consulis amicitiam se insinuaverant, et consulem qui eorum caussa bene volebat senatumque coegerat, hospitalis quaedam intercedere necessitudo videbatur quae vexato et repulso rege a senatu violaretur. deinde Graios Cicero ex tragoedia accitos quos vellet intellegi, ipse declaravit adiectis his *per quos mecum in gratiam rediit.* reconciliatum autem esse Ciceronem in Appi gratiam qui frater fuit P. Clodi per Caesarem Pompeiumque conicimus, qui si suam auctoritatem rei cuipiam insererent, quantum possent efficere, iam pridem Cicero maxuma calamitate oppressus didicerat.

tragico versiculo alium addo comicum, quem non primus quidem ego inveni sed tamen nemo dum recte tractavit aut adsensu suo comprobavit. faciamus periculum ecquid nostrae admonitioni eveniat felicius. anno urbis DCXCIIII Cicero Attico in prima epistula libri secundi facetias narravit turpes et scurriles, quas in Clodium dixerat cum una deducerent candidatum, immixta Clodiae sororis mentione mulieris famosissumae, quae Metello Celeri tum consuli nupserat. obscena verba ne repetamus, ipse de eis sese obiurgans simul et excusans Cicero haec continuavit § 5 *non consulare inquies dictum; fateor sed ego illam odi male consularem. ea est enim seditiosa, ea cum viro bellum gerit, neque solum cum Metello sed etiam cum Fabio, quod eos in hoc esse moleste fert.* discordiam Clodiae cum coniuge fuisse, ut Catullum et Caelium reliquamque adulterorum turbam silentio praetereamus, vel hinc elucet quod cum post paucos annos Metellus intra triduum vita decessisset, uxor eius non arcano tantum sed palam et in iudicio de venefici scelere incusata est. iam verba si contemplamur, *ea* pronomen praesertim geminatum adeo abhorret ab simplici oratione, ut Schuetzius id et Baiterus utrobique delerent, alter vero eorum *seditiosa et cum viro* substitueret. Bootius autem batavus editor, quo nemo melius est meritus nostra memoria de enarrandis his epistulis, quod Schuetzio adstipulatus 'pronomen' inquit 'vitiosum esse arguit *enim* tertio loco positum, nam ut recte scriberetur *seditiosa est enim,* sic ne nimis efferretur pronomen scripsisset *ea enim est seditiosa*', in hoc quidem tota via erravit. an vitiosa etiam illa habebimus omnia quae strictim nunc mihi

attingenti has epistulas placuit excerpere, I 1, 2 *nemo est enim*, I 18, 6 *sic est enim*, II 7, 4 *si est enim aliquid*, quaeque accumulari possunt similia? immo quoniam *est* se acclinare consuevit in proxuma contractisque veteres vocibus *east* pronuntiavere, hic quem supra secutus sum verborum ordo ne minumam quidem habet offensiunculam, iste autem quem Bootius praeoptavit, non quaesiti modo ornatus colorem prae se ferret sed maiorem etiam aliquanto quam nunc fit ipsi pronomini attribueret gravitatem. itaque cum per se illa non sint falso dicta verum concitatiora graviusque adfecta quam pro modesto ac remisso sermone, una maxume probabilis mihi videtur Orelli ratio, in quam et ipse incideram illius ignarus, his verbis significata 'videtur versiculus comicus: *est seditiosa*, *cum viro bellum gerit*'. accedit enim et hoc quod seditionis bellique verba gesti cum viro ad uxorem translata volgarem loquendi modum excedunt, et hoc quod viri commemorationem Cicero deinceps ita retractavit *neque solum cum Metello*, non ille suae orationis tenorem persecutus, nam sic satis erat scripsisse *cum hoc*, sed quasi alienum dictum interpretatus. at de summa rei cum Orellio ego idem existumans dissentio de ipso versu. nempe in hoc Cicero nisi *ea* pronomen legisset semel atque iterum positum, nulla in promptu fuerat neque caussa neque excusatio si suis ipse verbis inculcaret. credite igitur vel Caecilium vel Afranium in imperiosae descriptione coniugis hoc usum esse integro senario

ea est séditiosa, *ea cum viro bellum gerit*

quem Cicero quo commodius adnecteret ad superiora, inserta *enim* particula auxerit. ceterum quoniam ad hunc locum inlustrandum disputatio mea progressa est, nolo cautionis nostrae gratia aliorum desse utilitati, si qui forte de proxumis Ciceronis verbis sciscitantur quid sentiam. haec enim tantis obvoluta sunt tenebris ut explicaturo et emendaturo haereat ut aiunt aqua. nempe Fabius ibi nominatus quis fuerit, quo negotio cum Metello sociatus dissociatus, una omnes ignoramus. Clodiae eum in adulteris fuisse suspicantur, utrumque *in hoc esse* Bootius ita cepit quasi resistere dicerentur Clodio tribunatum plebei petenti. ego recordatus permire accidisse ut facti valde memorabilis quod Cassius Dio XXXVII 50 inter res eodem anno DCXCIIII gestas fusius narravit, in Ciceronis epistulis nec vola nec vestigium deprehenderetur, Fabi nomen successisse statui leviter depravato *flabio* id est Flavio. Lucio enim Flavio tribuno plebei qui legem agrariam tulerat ad voluntatem Pompei, Dio refert consulem Metellum tanta cum contentione repugnasse ut prensus a tribuno in vincula duceretur. nihilo secius in carcerem consulem convocasse senatum, cum Flavius posito in limine subsellio tribunicio aditum senatoribus praeclusisset, parietem aedifici iussisse perforari, cum ceteri tribuni plebei liberare eum cuperent, sprevisse auxilium atque pernoctare in vinculis constituisse, donec Pompeius pudore perculsus metuque Flavium commoveret ut inceptis desisteret. iam videte quam coniectura mea apte conveniat cum in seriem rerum perpetuitatemque huius epistulae mense iunio scriptae, in qua statim ex consulis tribunique discordantium memoria haec proferuntur *quod de agraria lege quaeris*, *sane iam videtur refrixisse*, tum in superiores litteras ad Atticum datas mense ianuario I 18, 6 *agraria promulgata est a Flavio sane levis* et idibus martiis I 19, 4 *agraria lex a Flavio tribuno pl. vehementer agitabatur auctore Pompeio*, *ex hac ego lege secunda contionis voluntate* multa *tollebam*, *huic toti rationi agrariae senatus adversabatur*, *Pompeius*

vero ad voluntatem perferendae legis incubuerat, *haec tota res interpellata bello* quod expectabant gallico *refrixerat*, *Metellus est consul sane bonus*. verum quae subiunguntur extrema *quod eos in hoc esse moleste fert*, etiam si proditam a Dione rixam illis ipsis diebus circiter kalendas iunias accidisse atque cum urbanarum rerum commentariis ad Atticum delatam esse sumpseris, tamen parum videntur latine dicta. videlicet Bootius quae comparavit Horatiana *omnis in hoc sum* et *totus in illis*, ea in summa re non similia sunt sed diversa, et ut demus *hoc* pronomen ad praecedens *belli* vocabulum posse referri, pugnantes inter sese non dicuntur *in bello esse*. illa ut volgo circumferrentur Victori factum est auctoritate: in Mediceo libro scriptum erat primo *eos esse in hoc esse*, deinde correctum ad modum omnino disparem *eos nihil mihi esse*, quae romanus editor sic conglutinavit *eos nihil in hoc esse*, Ienso sic conformavit licentius *eos mihi esse amicos*. ego tota hac expositione paratum mihi fore adiumentum sperabam si proponerem *quod eos inimicos esse moleste fert*. itaque mulier non solum coniugi suo irata erat ut adsolebat sed etiam adversario eius, quod non litigare alterum cum altero sed pace inita rei publicae consilia communicare expetebat sive Ciceronis ulciscendi cupiditate ardens sive maius quiddam spectans.

Tantum habete adnotationum, cives, quas more tralaticio prooemium scholarum indici parantes decrevimus in praesentia expromere. quod si parvas eas et paucas esse sic ut sunt senseritis, tam perspicaci prudentiae alias adiungere vos volumus duas cogitationes, primum in litteris non minus quam in omni vita maxuma minumis contineri et qui nummum non curet aereum, ei non convenire aureum, tum si qua in publicum emittuntur, illud praeter cetera maxumi ad liberalia studia interesse ut sine indulgentia et iniuria simplicem sequantur rationem veritatis. hanc ut semper teneatis in vita agunda omni opera contendite. infra autem perscriptas videtis amplas scholarum copias quibus per hibernos menses praeceptores academici parati sunt instituere vos et quantum in illis situm est, provehere ad dignum magna gente litterarum et politioris humanitatis fastigium. eorum disciplinae ut vestra ne desit voluntas et industria, hortamur rogamus.

I) SCHOLAE THEOLOGORUM.

PROFESSORUM ORDINARIORUM.

Dr. O. ZÖCKLER, p. p. o. dec.

I) Publice seminari theologici exercitationes ad historiam ecclesiasticam pertinentes moderabitur, die Lunae hor. VI. — II) Privatim 1) historiae ecclesiasticae partem alteram, sive historiam ecclesiae medii aevi tradet sexies p. h. hor. IX; 2) historiam dogmatum christianorum enarrabit quinquies p. h. hor. III.

Dr. C. A. T. VOGT, p. p. o.

I) Publice seminari theologici exercitationes dogmaticas moderabitur d. Martis h. VI et progymnasmata homiletica diriget d. Merc. hh. III et IV. — II) Privatim ethicen christianam docebit quater p. h. h. XI.

Dr. C. WIESELER, p. p. o.

I) Publice seminari theologici exercitationes in Nov. Test. interpretando moderabitur d. Iovis hor. VI. — II) Privatim 1) evangelium Ioannis apostoli usque ad historiam passionis Iesu Christi interpretabitur quater p. h. hor. X; 2) theologiam biblicam Novi Testamenti docebit quater p. h. hor. XII.

Dr. I. GUIL. HANNE, p. p. o.

I) Publice systema doctrinarum christianarum adumbrabit in usum commilitonum omnium facultatum semel p. h. d. Merc. hor. VI. — II) Privatim theologiae practicae partem II tradet, quater p. h. d. Lun. Mart. Merc. Iov. hor. XII.

Dr. E. VILMAR, p. p. o.

I) Publice seminari theologici exercitationes in Vet. Test. interpretando moderari perget die Veneris hor. VI. — II) Privatim 1) Iobi librum interpretabitur quater p. h. hor. IV; 2) introductionem in Veteris Testamenti libros tradet quinquies hor. V.

II) SCHOLAE IURECONSULTORUM.

PROFESSORUM ORDINARIORUM.

Dr. H. WITTE, p. p. o. dec.

I) Publice de ordine iudiciorum privatorum qualis fuerit apud Romanos disseret die Merc. h. XII. — II) Privatim historiam iuris Romani et institutiones docebit quater p. h. h. X et XI.

Dr. TH. PÜTTER, p. p. o.

I) Publice de iure gentium privato et de conflictu statutorum duce libro suo: „Das praktische Europäische Fremdenrecht" disseret bis p. h. hora auditoribus commoda. — II) Privatim 1) ius gentium, quod hodie inter liberas nationes obtinet, praemissa brevi iuris gentium historia docebit quinis p. h. lectionibus h. V; 2) ius ecclesiasticum praemissa eius brevi historia sexies p. h. h. XI; 3) encyclopaediam et methodologiam iurisprudentiae duce libro suo: „Inbegriff der Rechtswissenschaft" sexies p. h. h. XII.

Dr. E. I. BEKKER, p. p. o.

I) Publice practicum instituet pandectarum d. Mart. h. V et VI et d. Ven. h. VI. — II) Privatim pandectas docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX et X; — III) Privatissime et gratis exercitationes quae ius Romanum spectant in seminario moderari perget dieb. Lunae et Iovis h. XII.

Dr. C. F. W. I. HAEBERLIN, p. p. o.

I) Publice practicum criminale instituet d. Sat. h. XII. — II) Privatim 1) historiam iuris et imperi Germanici docebit quinquies p. h. h. XI; 2) ius criminale quinquies p. h. h. X.

Dr. C. T. O. FRANKLIN, p. p. o.

I) Publice exercitationes seminari iuridici in iure Germanico versantes moderabitur die Sat. h. IV et V. — II) Privatim 1) ius publicum Germanicum tradet quinquies p. h. h. V; 2) ius commune Borussicum quinquies p. h. h. IV.

Dr. O. KARLOWA, p. p. o.

I) Publice exercitationes quae processum civilem spectant in seminario moderabitur bis p. hebd. hor. def. — II) Privatim 1) processum civilem docebit quinquies h. XII; 2) processum criminalem quinquies h. XI.

III) SCHOLAE MEDICORUM.

1) PROFESSORUM ORDINARIORUM.

Dr. F. GROHE, p. p. o. dec.

I) Publice de tumoribus disseret semel p. h. h. VI. — II) Privatim 1) pathologiam et therapiam generalem adiuncta anatomia pathologica cum demonstrationibus tradet dieb. Lunae, Martis, Mercuri, Iovis, Veneris h. V; 2) cursum anatomes et physiologiae pathologicae practicum instituet dieb. Martis, Mercuri, Veneris, Saturni h. VIII c. dimidia.

Dr. C. A. S. SCHULTZE, p. p. o

I) Publice anatomen encephali docebit die Iovis hor. X. — II) Privatim anatomiam et physiologiam systematis vasorum tradet dieb. Lunae, Martis, Mercuri hor. X.

Dr. H. A. BARDELEBEN, p. p. o.

I) Publice de akiurgia disseret die Lunae hor. VIII usque ad hor. IX c. dimidia. — II) Privatim 1) chirurgiam docebit diebus Martis, Mercuri, Iovis, Veneris, Saturni hor. VIII usque ad hor. IX c. dimidia; 2) exercitationes clinicas chirurgicas et ophthalmiatricas moderabitur quotidie hor. X c. dimidia usque ad hor. XII.

Dr. IULIUS BUDGE, p. p. o.

I) Publice anatomiam organorum sensus tradet die Saturni hor. XII. — II) Privatim 1) anatomiam corporis humani universam docebit quater p. h. h VIII et IX; 2) exercitationes anatomico-practicas moderabitur quotidie h. XI—I et h. II—IV.

Dr. H. C. A. PERNICE, p. p. o.

I) Publice de morbis neonatorum disseret d. Iovis h. III. — II) Privatim 1) theoriam artis obstetriciae docebit d. Lun. Mart. Mercur. h. III; 2) exercitationes clinicas et policlinicas obstetricias operationesque in phantomate instituendas moderabitur quotid. h. XII.

Dr. F. LAURER, p. p. o.

I) Publice 1) artem formulas medicas praescribendi docebit diebus Mercuri et Saturni hora XII; 2) repetitorium de pharmacologia speciali instituet diebus Martis et Iovis hora XII. — II) Privatim 1) toxicologiam tradet diebus Lunae, Iovis, Veneris hora IX; 2) pharmacologiam generalem exponet diebus Martis et Saturni hora IX.

Dr. F. MOSLER, p. p. o.

I) Publice morbos lienis tractabit d. Saturn. h. XII — II) Privatim 1) pathologiae et therapiae partem secundam docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Vener. h. IV; 2) cursum de diagnostice physica practicum instituet d. Lun. Mart. Iov. Vener. h. VI; 3) exercitationes clinicas et policlinicas medicas moderabitur quotid. h. IX—X et dimid.

2) PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

Dr. C. F. EICHSTEDT, p. p. e.

I) Publice exercitationes obstetricias in phantomate instituet d. Mercur. h. II. — I) Privatim de operationibus obstetriciis disseret d. Lun. et Iov. h. II.

Dr. R. SCHIRMER, p. p. e.

I) Publice de oculorum refractione atque accommodatione perturbatis disseret die Lun. h. III. — II) Privatim 1) exercitationes ophthalmoscopicas moderabitur dieb. Iov. et Vener. h. IV; 2) exercitationes clinicas ophthalmiatricas instituet dieb. Merc. et Saturni h. III.

3) PRIVATIM DOCENTIUM.

Dr. G. HAECKERMANN, priv. doc.

I) Publice de politia medica disseret diebus Martis et Saturni hora V. — II) Privatim de medicina forensi diebus Lunae, Mercuri, Veneris hora V.

Dr. A. BENGELSDORFF, priv. doc.

Ex itinere redux lectiones indicabit.

Dr. L. LANDOIS, priv. doc.

I) Privatim histologiam et anatomiam microscopicam cum demonstrationibus et exercitationibus practicis tradet diebus Iovis, Veneris, Saturni hor. VI. — II) Privatissime repetitorium anatomiae systematicae offert sexies per hebd. horis definiendis in feriis pasch. habendum.

Dr. P. KRABLER, priv. doc.

Privatim 1) de morbis cutis addendis demonstrationibus disseret bis per hebd. hor. defin. 2) repetitorium diagnostices physicae instituet ter per hebd. hor. defin.

Dr. I. KIRCHNER, priv. doc.

Publice otiatricen cum demonstrationibus tradet die Sat. h. IV—VI.

Dr. R. ARNDT, priv. doc.

Privatim 1) pathologiam et therapiam psychosium cum demonstrationibus in nosocomio psychiatrico docebit ter p. hebd. h. III; 2) de morbis veneno genitis disseret diebus Mart. et Vener. h. V.

Dr. M. ROTH, priv. doc.

Publice de principiis statistices medicinalis exponet semel per hebd. hora definienda. — Privatim 1) cursum histologiae normalis practicum instituet dieb. Lun. Mart. Iov. Vener. hora IV; 2) de parasitis hominis disseret bis per hebd. hor. defin.

IV) SCHOLAE PHILOSOPHORUM.

1) PROFESSORUM ORDINARIORUM.

Dr. GUIL. AHLWARDT, p. p. o. dec.

I) Publice scholas arabicas habebit ter per hebd. — II) Privatim 1) cantica Hebraeorum antiquissima interpretabitur diebus Lunae, Mercuri, Veneris h. III; 2) grammaticam persicam tradet binis p. hebd. horis.

Dr. G. F. SCHOEMANN, p. p. o.

I) Publice Hesiodi opera et dies cum sodalibus seminarii philologici tractare perget dieb. Merc. et Sat. hor. XI. — II) Privatim 1) Euripidis Ionem interpretabitur dieb. Lun. et Mart. hor. X. 2) Persii satiras enarrabit dieb. Iov. et Ven. hor. X.

Dr. I. A. GRUNERT, p. p. o.

I) Publice exercitationes seminari mathemathici moderari perget d. Merc. h. X et XI. — II) Privatim 1) calculum differentialem eiusque applicationem ad geometriam dieb. Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. X; 2) mechanices analyticae partem posteriorem eisdem dieb. h. XI docebit.

Dr. F. L. HUENEFELD, p. p. o.

I) Publice examinatorium de rebus chemicis et mineralogicis habebit dieb. Lun. et Mart. hor. XII. — II) Privatim 1) oryctognosiam docebit dieb. Mercuri et Jovis hor. XII; 2) de crystallisatione disseret die Veneris hor. XII; 3) mineralogiae historiam enarrabit die Saturni hora XII.

Dr. E. BAUMSTARK, p. p. o.

I) Publice de constitutione regni borussici et foederis germanici septentrionalis disseret die Martis horis IV et V. — II) Privatim statisticen regni borussici enarrabit diebus Iovis et Veneris horis IV et V.

Dr. A. HOEFER, p. p. o.

I) Publice linguam sanscriticam docebit bis p. h. h. IV. — II) Privatim 1) poëma diutiscum 'der Nibelunge Nôt' e. C. Lachmanni editione interpretabitur diebus Lunae, Mercuri, Iovis h. XII; 2) disquisitiones et exercitationes etymologicas instituet dieb. Martis et Veneris h. XII.

Dr. A. H. A. I. MUENTER, p. p. o.

I) Publice de mammalibus disseret die Ven. hor. V et VI. — II) Privatim 1) zoologiam generalem et systematicam tradet diebus Mart. Merc. Iov. hor. V et VI; 2) pharmacognosiam zoologicam tractabit die Lun. hor. V et VI; 3) botanicen medicam docebit quater p. hebd. hor. def.

Dr. F. C. O. l. b. de FEILITZSCH, p. p. o.

I) Publice 1) de calore disseret bis p. h. die Merc. h. XII et die Sat. h. XI; 2) examinatorium et repetitorium de rebus physicis habebit die Sat. h. XII. — II) Privatim physicae experimentalis partem alteram docebit dieb. Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. XII.

Dr. A. H. BAIER, p. p. o.

I) Publice Schleiermacheri et Hegeli placita philosophica et theologica exponet die Sat. h. XII. — II) Privatim 1) psychologiam tradet quater p. hebd. hor. V. — 2) philosophiam religionis docebit ter p. hebd. h. IV.

Dr. I. F. L. GEORGE, p. p. o. rector.

I) Publice societatis philosophicae consessus moderari perget die Sat. hor. III et IV. — II) Privatim 1) philosophiae recentioris inde a Bacone et Cartesio usque ad novissima tempora historiam tractabit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII; 2) logicen docebit eisdem diebus h. IV librum suum nuper editum respiciens (die Logik als Wissenschaftslehre).

Dr. H. LIMPRICHT, p. p. o.

I) Publice de selectis quibusdam chemiae locis disseret semel p. hebd. hor. def. — II) Privatim 1) chemiae partem secundam tradet sexies p. hebd. hor. III; 2) praxin chemicam docebit tricenis horis p. hebd.; 3) exercitationes chemicas analyticas et senis et duodenis hor. p. hebd. instituet.

Dr. FRANC. BUECHELER, p. p. o.

I) Publice cum sodalibus seminari philologici Terenti hauton timorumenon tractabit disputationesque moderabitur diebus Mercuri et Saturni h. X. — II) Privatim de litteris vocibus formis linguae latinae disseret diebus Lunae Martis Iovis Veneris h. IX. — III) Privatissime sed gratis Hyperidis et Philodemi papyrorum exempla tractanda proponet die Lunae continuis aliquot horis inde ab h. II.

Dr. F. F. C. E. SUSEMIHL, p. p. o.

I) Publice isagogen in studium Platonis tradet diebus Mercuri et Saturni hora IX. — II) Privatim rhythmicam et metricam Graecam docebit diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris hora V. — III) Privatissime sed gratis exercitationes offert in interpretando Platone vel Aristotele horis definiendis instituendas.

Dr. TH. HIRSCH, p. p. o.

I) Publice exercitationes seminari historici tum historicas tum geographicas illas die Martis V et VI, has die Saturni VIII et IX moderari perget. — II) Privatim 1) historiam antiquam Polybianae aetatis diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. VIII; 2) historiae Prussicae partem primam (usque ad annum 1640) docebit eisdem diebus h. IV.

Dr. L. KOENIGSBERGER, p. p. o.

I) Publice exercitationes seminari mathematici moderabitur d. Sat. h. IX et X. — II) Privatim 1) theoriam numerorum dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX; 2) theoriam functionum ellipticarum eisdem diebus h. V docebit.

Dr. CAROLUS de NOORDEN, p. p. o.

I) Publice exercitationes seminari historici moderari perget die Lunae hor. IV—VI. — II) Privatim historiam recentioris aevi inde ab anno 1648 enarrabit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. XI.

2) PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

Dr. H. SCHWANERT, p. p. e.

I) Publice de relationibus inter proprietates chemicas et physicas corporum disseret semel p. hebd. hor. def. — II) Privatim 1) chemiam analyticam docebit dieb. Ven. et Sat. h. VIII; 2) pharmaciae partem priorem exponet dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. hor. VIII.

Dr. BERNH. SCHMITZ, p. p. e.

I) Publice de medii aevi scriptoribus anglicis sermone anglico usurus disseret dieb. Mart. et Ven. h. V. — II) Privatim 1) syntaxin franco-gallicam duce libro suo (Franz. Grammatik, edit. altera) franco-gallico sermone usurus exponet die Merc. h. IV et V; 2) Shakespeari tragoediam King John sermone patrio interpretabitur die Sat. h. IV et V.

Dr. A. PREUNER, p. p. e.

I) Publice 1) urbis Athenarum historiam et antiquitates exponet bis per hebd. 2) exercitationes archaeologicas et historicas moderabitur semel per hebd. — II) Privatim imperi Romani historiam a morte Octaviani Augusti usque ad Diocletianum enarrabit ter quaterve per hebd.

Dr. C. JESSEN, p. p. e.

I) Publice botanicam Graecorum Romanorumque narrabit semel p. h. — II) Privatim 1) anatomiam et physiologiam plantarum additis demonstrationibus microscopicis docebit bis per hebdom. d. Martis h. IV; 2) pharmacognosiam additis demonstrationibus docebit quater per hebdom. die Mercuri et Saturni hor. IV. — III) Privatissime exercitationes offert et microscopicas et botanicas.

3) PRIVATIM DOCENTIUM.

Dr. C. TH. PYL, priv. doc.

I) Publice 1) historiam artium Germaniae narrabit bis p. hebd. hor. XI.; 2) disputationes de antiquitatibus Pomeraniae moderabitur semel p. hebd. hor. XI. — II) Privatissime sed gratis disputationes de doctrina nummorum Germaniae moderabitur semel p. hebd. hor. XI.

Dr. CAR. A. F. PERTZ, priv. doc.

I) Publice Einhardi Epistolas interpretabitur semel p. h. — II) Privatim de fontibus historiae medii aevi Germanicae disseret ter p. h. diebus horisque auditoribus commodis.

Dr. R. OTTO, priv. doc.

Privatim 1) de investigatione venenorum disseret semel per hebd. hor. def.; 2) repetitorium chemiae habebit ter per hebd. hor. def.

Dr. R. BUCHHOLZ, priv. doc.

Publice 1) entomologiam docebit bis per hebdom. horis definiendis; 2) animalium parasiticorum, praecipue eorum, quae apud hominem inveniuntur, historiam naturalem tradet bis per hebdomad. horis definiendis.

Dr. F. BAUMSTARK, priv. doc.

I) Publice de nutrimentis comparandis, chemice investigandis eorumque vi physiologica disseret semel p. hebd. hor. def. — II) Privatim 1) chemiam analyticam quantitativam docebit ter p. hebd. hor. def.; 2) repetitorium chemiae anorganicae et organicae medicinae studiosis offert ter p. hebd. hor. def. instituendum.

Dr. M. SCHOLZ, priv. doc.

I) Publice petrographiam tradet semel per hebdom. hora def. — II) Privatim 1) geognosiam docebit bis per hebd. horis def.; 2) mineralogiam tractabit cum pharmaciae studiosis bis per hebd. horis def. — III) Privatissime exercitationes offert mineralogicas hor. def.

ARTIUM MAGISTRI.

G. Bemmann, concent. music. director I) publice 1) cantum ecclesiasticum docebit bis p. hebd. hor. def.; 2) exercitationes cantandi moderari perget d. Iovis hor. VI et VII; 3) de relatione harmonica ac modulatione disseret bis p. hebd. h. def. — II) Privatim commilitonibus offert cantandi lectiones.

E. Weiland artem delineandi docebit publice horis quattuor definiendis.

H. Range, gymnastes, 1) historiam artis gymnasticae inde a Gutsmuthsio usque ad nostra tempora tractabit semel per hebdomadem hora definienda; 2) artem gymnasticam docebit doctorosque instituet die Lunae et Veneris hora VII.

INSTITUTA PUBLICA.

Bibliotheca academica, cui praesunt HIRSCH Prof., Prof. PERTZ Cust. et MUELLER pro Cust., dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. horis XI—I, dieb. Mercuri et Saturni hor. II—V studiosis patebit.

Museum litterarium curant Professores ZÖCKLER, WITTE, BUDGE, HOEFER, GEORGE.

Seminari theologici exercitationes reguntur ab ORDINE THEOLOGORUM.

Societatis homiletico-catecheticae studia ac labores moderabuntur VOGT Prof. et HANNE Prof.

Seminari iuridici exercitationes moderabuntur BEKKER Prof., FRANKLIN Prof. et KARLOWA, Prof.

Theatrum anatomicum administrat BUDGE Prof. adiuvante SOMMER Dre., qui Prosect. munere fungitur, adiutore in physiologia LANDOIS, Dre.

Museo anatomico praepositus est BUDGE Prof., adiutoribus SOMMER Dre. et LANDOIS Dre.

Societatis physiologicae exercitationes moderabitur BUDGE Prof.

Instituto pathologico-anatomico praepositus est GROHE Prof., adiutore ROTH, Dre.

Museo pathologico-anatomico praepositus est GROHE Prof.

Collectis praeparatis pharmaceuticis praeest LAURER Prof.

Nosocomio Universitatis praesunt BARDELEBEN Prof. et MOSLER Prof., — administr. KIKHEFEL, — calculatore STEMPEL, — assistentibus HOFFMANN Dre. et PAGENSTECHER Dre. — adiutoribus WEWER et TERFLOTH.

Instituti clinici medici curam habet MOSLER Prof., assistente KOBER Dre. adiutore FUNCK Dre.

Instituti clinici chirurgici et ophthalmiatrici curam habet BARDELEBEN Prof., assistente VOGT Dre.

Instituti obstetricii curam habet PERNICE Prof., assistente BENNECKE Dre., adiutore DE CZARLINSKI, Dre.

Instrumenta, quae ad physicen pertinent, custodit DE FEILITZSCH Prof., adiutore FRAUENSTEIN.

Seminari mathematici exercitationes moderabuntur GRUNERT Prof. et KOENIGSBERGER Prof.

Instrumenta astronomica custodit GRUNERT Prof.

Museo botanico praepositus est MUENTER Prof., adiutore MIRICH.

Museum zoologicum curant MUENTER Prof., BUCHHOLZ Dr. Conservator.

Hortum botanicum curant MUENTER Prof., DOTZAUER inspector, adiutore MIRICH.

Seminario zoologico-botanico praeest MUENTER, Prof.

Museo mineralogico praepositus est HUENEFELD, Prof.

Institutum chemicum moderatur LIMPRICHT, Prof., adiutoribus SCHWANERT Prof., OTTO Dre. et F. BAUMSTARK Dre.

Seminari philologici sodalibus scriptores utriusque linguae interpretandos proponet ceterasque exercitationes ex more moderari perget BUECHELER Prof.

Seminarium historicum moderabuntur HIRSCH Prof. et DE NOORDEN, Prof.

Gypsothecae et antiquitatum museo praeest PREUNER Prof.

Museo antiquitatum Pomeraniae praeest PYL Dr., Priv. Doc.

Societati philosophicae praeest GEORGE Prof.

SCHOLAE
IN
ACADEMIA CAMERALI ET GEORGICA HILDENSI
HABENDAE.

1) Introductionem in studia academica tradet Dr. BAUMSTARK, Prof. et Dir., ineunte semestri horis X—XII definiendis.

2) Statisticen politico-oeconomicam regni Borussici docebit IDEM die Merc. horis IV — VI.

3) De constitutione regni Borussici et foederis Germanici septentrionalis exponet IDEM die Saturni h. IV—VI.

4) Introductionem encyclopaedicam in ius georgicum tradet Dr. HAEBERLIN, Prof., die Mercuri h. X—XII.

5) Historiam rei rusticae enarrabit Dr. SEGNITZ, Prof., die Martis h. VIII—X.

6) Rei rusticae administrationem traditurus est IDEM diebus Veneris et Saturni horis X—XII.

7) Exercitationes in computationibus ad rem rusticam spectantibus et conversationes de rebus rusticis praeibit IDEM die Iovis horis V—VII.

8) De agri melioratione disseret WERNER, Praeceptor rei rusticae subsidiarius, horis quaternis definiendis.

9) Pabuli culturam docebit IDEM diebus Iovis et Veneris hora VI.

10) De ordinatione rei rusticae et de diversis in eadem adhibendis dispositionibus disseret IDEM semel per hebd.

11) Conservandam valetudinem animalium domesticorum mammalium docebit Dr. FUERSTENBERG, Prof., die Veneris horis VIII—X.

12) De bubuli pecoris cura exponet Dr. ROHDE, Cons. Oecon., die Veneris horis II—IV.

13) Curam pecoris ovilli docebit IDEM die Iovis horis X—XII.

14) De administratione rei rusticae Hildensis academicae exponet simulque commilitones de re rustica administranda practice instituet IDEM die Mercuri hor. II.

15) Demonstrationes practicas et exercitationes in re rustica habebit IDEM die Mercuri hora III.

16) Horti olitorii curam docebit FINTELMANN, Hort. acad., die Iovis horis II—IV.

17) Rei saltuariae administrandae principia docebit WIESE, Rei saltuariae Magister acad. diebus Martis et Veneris hora II—IV.

18) De technologia oeconomica exponet Dr. TROMMER, Prof., diebus Iovis et Saturni horis VIII—X.

19) Demonstrationes practicas in officinis technico-oeconomicis et academiae et extraneis instituet IDEM diebus et horis definiendis.

20) Anatomiam et physiologiam animalium domesticorum mammalium docebit Dr. FUERSTENBERG, Prof., diebus Lunae et Mercuri horis VIII—X.

21) Chemiam anorganicam experimentalem tradet Dr. TROMMER, Prof., dieb. Lunae et Martis horis X—XII.

22) Exercitationes in laboratorio chemico praeibit SCHOLZ, Dr., diebus Martis et Veneris horis II—VI.

23) Historiam naturalem animalium rei rusticae obnoxiorum et morbos plantarum explicaturus est Dr. JESSEN, Prof., die Lunae horis II—IV.

24) De geographia et climatologia plantarum disseret IDEM die Iovis hora IV.

25) Exercitationes microscopicas in anatomia plantarum instituet IDEM diebus et horis definiendis.

26) Semina ad rem rusticam pertinentia disquirenda et cognoscenda docebit IDEM die Mercuri hora X.

27) Geognosiam docebit SCHOLZ, Dr., die Saturni horis II—IV.

28) De chemia analytica disseret IDEM binis per hebd. horis definiendis.

29) De stercoribus disseret IDEM die Lunae horis IV—VI.

30) Chemiam organicam repetiturus est IDEM binis per hebd. horis definiendis.

31) Architecturae rusticae seu cameralis partem priorem docebit MUELLER, Arch. academ., die Lunae horis IV—VI.

32) Stereometriam practicam, trigonometriam planam et arithmetices capita selecta tradet Dr. GRUNERT, Prof., die Iovis horis II—IV.

33) Mechanicen et doctrinam de machinis docebit IDEM die Martis horis II—IV.

INSTITUTA SPECIALIA ACADEMIAE HILDENSIS.

Bibliothecae academicae, quae studiosis diebus Mercuri et Saturni per semestre hibernum hora I et per semestre aestivum hora XI patebit, praeest Dr. JESSEN, Prof.

Museum litterarium academiae regit IDEM.

Museo proplasmatum suppellectilis rustici praeest Dr. SEGNITZ, Prof.

Collectis instrumentis rusticis et lanae speciminibus praeest Dr. ROHDE, Consil. Oeconom.

Institutum chemicum generale moderantur Dr. TROMMER, Prof., et Dr. SCHOLZ.

Apparatui physicali et technologico praeest Dr. TROMMER, Prof.

Museo mineralogico praeest SCHOLZ, Dr.

Instituto chemico rei rusticae experimentis emendandae destinato praeest IDEM.

Museo zoologico et botanico, instituto microscopico et phytophysiologico, collectis seminibus et fructibus praeest Dr. JESSEN, Prof.

Museis anatomicis et veterinariis, instituto zoophysiologico, valetudinariis veterinariis et stabulis experimentis in re pecuaria instituendis inservientibus praepositus est Dr. FUERSTENBERG, Prof.,

Hortum botanicum curant Dr. JESSEN, Prof., Praepositus, et FINTELMANN, Hortul. acad.

Seminarium et plantaria pomorum, pometum arborum matricum et exemplo inserviens, hortum olitorium et collecta pomorum proplasmata curat FINTELMANN, Hortul. acad.

Rei rusticae academiae praeest Dr. ROHDE, Consil. Oeconom.

Agrum rei rusticae experimentis emendandae destinatum curat WERNER, Praeceptor rei rusticae subsidiarius.

SCHOLAE INDICE HORARIO DESCRIPTAE.

HOR.	THEOLOGICAE.	IURIDICAE.	MEDICAE.	PHILOSOPHICAE.
VIII.			Akiurgia, semel. Chirurgia, quinquies. Anatomia corporis humani, quater. Cursus anatomiae pathologicae, quater.	Historia phil. recent. quat. Chemia analyt. bis. Pharmaciae p. I^{or}, quat. Exercit. sem. hist. semel. Hist. Polybianae aetatis, quater.
IX.	Hist. eccles. p. II^{a}, sexies.	Pand. quinq.	Akiurgia, semel. Chirurgia, quinquies. Anatomia corporis humani, quater. Toxicologia, ter. Pharmacologia generalis, quater. Exercitationes clinicae et policlinicae medicae, sexies. Cursus anatomiae pathologicae, quater.	Theoria numerorum quat. Exercitt. semin. mathem. semel. Exercitt. semin. histor. semel. Isagoge in studium Platonis, bis. De litteris vocibus formis linguae latinae, quater.
X.	Evang. Ioann. quater.	Inst. et hist. iuris Rom. quater. Pand. quinq. Ius criminale quinq.	Anatom. encephal. sem. Anatomia et physiologia vasorum, ter. Exercitationes clinicae chirurg. sexies. Exercitationes clinicae et policl. med. sexies.	Exercitt. sem. mathemat. semel. Calculus differential. quat. Exercitt. semin. mathem. Euripidis Ion, bis. Persi satirae, bis. Terenti hautontimor. bis.
XI.	Ethic. christ. quater.	Inst. et hist. iur. Rom. quater. Hist. iur. et imp. Germ. quinq. Ius eccles. sexies. Process. crim. quinq.	Exercitationes clinicae chirurgicae, sexies. Exercitationes anatom.-practicae, sexies.	Exercitt. semin. mathem. semel. Mech. anal. p. II^{a}, quater. De calore, semel. Histor. Europae, quater. Hesiodi Opera et dies, bis. Hist. artium Germ. bis. De antiquit. Pomeran. sem. De doctrina numm. Germ. semel.
XII.	Theol. N. Ti. biblic. quater. Theol. pract. p. II^{a}, quater.	De ordine iudic. priv. semel. Encycl. et meth. quinq. Proc. civ. quinq.	Anatomia organorum sensus. Exercitationes anatom.-practicae, sexies.	Schleiermach. et Hegeli placita, bis. De calore, semel. Examinat. de rebus physicis, semel.

SCHOLAE INDICE HORARIO DESCRIPTAE.

HOR.	THEOLOGICAE.	IURIDICAE.	MEDICAE.	PHILOSOPHICAE.
XII.		Exercit. sem. in iure Rom. bis. Pract. crim. sem.	Ars formulas medicas praescribendi, bis. Repetitorium de pharmacologia speciali, bis. Morbi lienis, semel. Exercitationes clin. obstetriciae, sexies.	Physic. experim. p. II^a, quater. Examin. de rebus chemic. bis. Oryctognosia, bis. De crystallisatione, sem. Hist. mineralogiae, sem. Der Nibelunge Nôt, ter. Disquisitiones etymolog. bis.
II.			Exercitationes anatomico-practicae, sex. Exercitationes obstetriciae in phantomate, semel. De operationibus obstetriciis, bis.	Hyperidis papyrorum exempla tractanda, sem.
III.	Hist. dogmat. quinquies. Exercitatt. homil. sem.		Morbi neonatorum, sem. Theoria artis obstetriciae, ter. Exercitationes anatomico-practicae, sex. De oculorum refractione atque accommodatione, semel. Exercitationes ophthalmoscopicae, bis. Exercitationes clinicae ophthalmiatricae, bis. Pathologia et therapia psychosium, ter.	Societas philosophica, sem. Chemiae pars II^a, sexies. Hyperidis papyr. exempla tract. semel. Antiqu. Hebraeorum carmina, ter.
V.	Lib. Iob. quater. Exercit. homil. semel.	Ius comm. Boruss. quinq. Exerc. sem. in iure Germ. sem.	Pathologia et therapia specialis, quinquies. Cursus histologiae normalis practicus, quat. Otiatrice, semel.	Philosophia religion. ter. Logice, quater. Societas philos. semel. Physiologia plantar. sem. Pharmacognosia, bis. Exercitt. semin. hist. sem. Hist. Prussicae p. I^a, quat. De constitutione regni Boruss. semel.

SCHOLAE INDICE HORARIO DESCRIPTAE.

Hor.	THEOLOGICAE	IURIDICAE.	MEDICAE.	PHILOSOPHICAE.
IV.				Statistice regni Boruss. bis. Lingua Sanskrita, bis. Syntaxis linguae Franco-gallicae, semel. Shakespeari trag. King John, semel.
V.	Isagoge in Vet. Test. quinquies.	Ius publ. Germ. quinq. Pract. pand. semel. Ius gent. quinq. Exerc. sem. in iure Germ. sem.	Pathologia et therapia general. cum anatom. pathologica general., quinquies. Otiatrice, semel. Medicina forensis, ter. Politia medica, bis. Morbi veneno effecti, bis.	Psychologia, quater. Theoria functionum ellipticarum, quater. Zoologia gener. et system. ter. De mammalibus, semel. Physiologia plantarum, semel. Pharmacognosia, bis. Pharmacognosia zoolog. semel. Exercitt. semin. histor. semel. Exercitt. semin. histor. semel. De constitutione regni Boruss. semel. Statistice regni Borussici, bis. Rhythmica et metrica Graeca, quater. Syntaxis linguae Franco-gall. semel. Shakespeari trag. King John, semel. De medii aevi scriptoribus Anglicis, bis.
VI.	Exerc. hist. eccles. d. Lunae. Exerc. dogmat. d. Mart. Exerc. exeget. N. T. d. Iovis. Exerc. exeg. V. T. d. Ven. Systema doctr. christ. semel d. Mercuri.	Pract. pand. bis.	De tumoribus, semel. Cursus de diagnostice physica pract. quat. Histologia et anatomia microscopica, quater.	Zoologia gener. et systematica, ter. De mammalibus, semel. Pharmacognosia zoologica, semel. Exercitt. semin. histor. semel.

SCHOLAE INDICE HORARIO DESCRIPTAE.

HOR.	THEOLOGICAE.	IURIDICAE.	MEDICAE.	PHILOSOPHICAE.
VII.				Exercitatt. cantandi, sem. Ars gymnastica, bis.
HORIS DEFINIENDIS.		De iur. gent. priv. bis. Exerc. sem. proc. bis.	Repetitorium anatomiae systematicae, sexies. Morbi cutis, bis. Repetitorium diagnostices physicae, ter. De parasitis hominis, bis. De principiis statistices medicinalis, semel.	De selectis quibusdam chemiae locis, semel. Praxis chemica, tricies. Exercitt. chemiae analyt. sexies. Exercitt. chemiae analyt. duodecies. De proprietatibus chemicis et physicis, semel. De investigatione venenorum, semel. Repetitorium chemiae, ter. De nutrimentis comparandis, semel. Chemia anal. quant. ter. Repet. chemiae, ter. Petrographia, semel. Geognosia, bis. Mineralogia, bis. Exercitt. mineralogicae, semel. Botanice medica, quater. Entomologia, bis. De animalibus parasiticis, bis. De botanice Graec. et Roman. semel. Pharmacognosia, quater. Exercitt. microscopicae. Urbis Athenarum historia, bis. Exercitt. archaeolog. sem. Imperi Rom. historia, ter quaterve. Einhardi Epistolae, semel. De fontibus hist. M. A. Germanicae, ter. Exercitt. in Platone vel Aristot. interpret. Scholae Arabicae, ter.

SCHOLAE INDICE HORARIO DESCRIPTAE.

Hor.	THEOLOGICAE.	IURIDICAE.	MEDICAE.	PHILOSOPHICAE.
HO-RIS DE-FI-NI-EN-DIS.				Grammatica Persica, bis. Cautus ecclesiasticus, bis. De relatione harmonica ac modulatione, bis. Cantandi lectiones. Ars delineandi, quater. Historia artis gymnasticae, semel.